

De moxae atque ignis in medicina ratioanli usa. Venia exper. facult. medicæ sub moderamine Carol. Pet. Thunberg ... pro gradu medico / disserit Johannes Gustavus Hallman ... in Audit. Gust. Maj. d. XXIV. Maji MDCCLXXXVIII. h.a. et p.m.s.

Contributors

Hallman, Johan Gustaf, 1769-1814.
Thunberg, Carl Peter, 1743-1828.
Uppsala universitet.

Publication/Creation

Upsaliæ : Litteris Director. Joh. Edman, [1788?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ee4bxvcg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

6/3/77
(4)
DE
MOXÆ ATQUE IGNIS
IN MEDICINA RATIONALI
U S U,

VENIA EXPER. FACULT. MEDICÆ,
SUB MODERAMINE
CAROL. PET.
THUNBERG,

EQUITIS AURAT. REG. ORD. DE VASA,
MEDIC. DOCT. PROFESS. MED. ET BOTAN. REG. ET ORD., ACAD. CÆSAR.
NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LONDINENS. HOLMIENS. SOCIET. SCIENT. UPSAL.
PATR. HOLM. BEROL. NAT. SCRUT. LUNDENS. HARLEM. AMSTELD. ZELAND.
NIDROSIENS. HALENS. NAT. SCRUT. MEDIC. EDIMBURG. ET NAT. STUDIOS. IBID.
MEMBRI; NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. MONSPELIENS. AGRICULT.
PARIS. FLORENTIN. ET BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PRO GRADU MEDICO,

DISSERIT

JOHANNES GUSTAVUS HALLMAN,
REG. COLL. MED. MEMBR. ET MEDICUS PAUPERUM HOLMIÆ,
STOCKHOLMIENSIS.

IN AUDIT. GUST. MAJ. D. XXIV. MAJI MDCCLXXXVIII.

H. A. ET P. M. S.

UPSALIÆ, LITTERIS DIRECTOR. JOH. EDMAN.

Μεγάλη η αληθεία καὶ ὑπερισχθεῖ.

III. ESDR. IV. 41.





§. I.

Quo hebetior Medico cuique nasus est, eo utique minus experimentorum fallaciam olfaciet, verum nubem, ut dicunt, pro Junone amplectetur, nugas quascunque aniles ore garrulo incaute repetet & cramben semel atque iterum recoctam propinabit, quo scilicet ipsum rapuerit scribendi prurigo, delatus hospes. Hæc forsitan, vel huic non valde ablimilis, ratio in causa est, cur in Medicinam irrepsent observationes tot, partim dubiæ, partim minus fidæ, partim etiam prorsus fallaces & tot medicamenta, incerti vel nullius usus, jam incongruenti, jam quoque ridicula, pro lubitu fere, adpellatione salutata, in tabulas Medicorum relata sint. Ut enim de his nihil dicam, qui in Museorum recessu Morborum Historias conflant & pro veris venditant, vel de illis, qui etiam verissimas ita referunt explicantque, ut præjudicatis opinionibus faveant, alia est etiamnum deterior, nec minus vituperanda, caterva Medicorum, qui, nec experientiæ nec sanioris iudicii face illuminati & sempiterna ponentes tirocinia, nil oculis usurpant nisi novitates & miracula, quas deinde, laboriosa casuum similium serie intextas & quovis eruditionis peregrinæ apparatu ornatas, narrant mirabundi; quin & eo usque interdum procedunt imprudentiæ, ut, si scribendi materiem negaverit observationum penuria & imaginatio torpens, occasionem quamcunque, qualem scilicet subministraverit fors iniqua, læti



arripiant, &, dum plures observationes inter se comparare nequeunt nec adcuratoris examinis remoram facile patiuntur, vel ex unico tantummodo Casu morborum naturam atque curationes dijudicent & methodum illam, quam obtulit fors vel (vaferunt præsumtæ opiniones vel demum commendavit Auctor dilectus & quæ felici stipata fuit successu, optimam omniumque præstantissimam irrevocabili conditione & quasi ex tripode pronuncient. Quemadmodum enim iste ratiocinandi modus a recta illa atque satis plana Philosophorum via, qua ad investigandum & indagandum verum tutissime itur, valde abhorret, ita etiam Rem Medicam, quæ si quodnam habet, uti certe summum habet, decoris, id omne a perspicuitate, fide atque certitudine mutuabit, mirum in modum perplexam reddidit atque incertam. Ab eo enim tempore, quo prævalere incepit iste scribendi furor vanæque gloriæ cupido, eo usque increvit acervus Observationum Medicarum, ut jam mole laborent sua & non tantum tironem, nisi caute eas habere mox didicerit, facile perterreant, verum etiam doctissimi cujusque sagacitatem exerceant eludantque. Quo quidem factum est, ut Medicina inde a tempore summi HIPPOCRATIS, qui non nisi nudas, eas vero utilissimas retulit observationes, si vel insignes, tamen vix tantos, quantos ceteræ scientiæ, quæ Practicæ dicuntur, fecerit progressus. Nec sperare licet futurum esse, ut umquam ad culmen certitudinis, culturæ atque dignitatis prius perveniat, quam ab immensis illis opinionum commentis fuerit repurgata & experimenta rite instituere & convenienter naturæ atque sanæ rationi, juxta Leges, quas detexit recentiorum Physiologorum indefessa opera, explicare didicerint Artis Salutaris Cultores.

NE vero quis hæc de Clarorum Virorum conaminibus, non temere calumninandis, nimis acriter dicta existimet



stimet, Lectorem benevolum monitum volumus, quod tantum absit, ut Censores vel Obtrectatores agere prægestiamus, ut potius, si vel non prorsus coeca, tamen haud levi veneratione prosequamur eos, qui in illustranda Arte Medica operam quandam collocant & gloriam eorum eludere religioni ducamus, verum dum in eo fuimus, ut de usu Moxæ vel, quod idem fere est, de vi ignis in corpus animalium atque ejus ad curandos morbos usu disfereremus, nobis singula perlegendibus tanta sese obtulit de hoc argumento opinionum diversitas, ut abs nobis impetrare non potuerimus, quominus saltem profiteremur, id valde singulare nobis adparuisse, quum res ipsa, uti quidem nobis videtur, admodum simplex est atque plana. Nec facile erit dictu, cur tot atque tam singulares igni adtribuerint virtutes eumque, quod adhuc magis a verosimili abest, specifica quadam, ut vocabulo illo satis barbaro utamur, in quibusdam morbis gaudere vi crediderint, dum ignis, ut post hæc demonstrabitur, nihil aliud est, quam stimulus isque omnium simplicissimus.

NE vero quis fortassis nobis vitio vertat, quod in deplorando Medicinæ statu nimis multis verbis simus commorati, ad ea quæ in hac Opella tractabuntur, de Ignis, scilicet, & Moxæ in Medicina rationali usu, jam revertimur. Prius vero quam ad explicandas opiniones nostras nos accingimus, Lectorem Benevolum etiam atque etiam rogatum volumus, ne ea quæ proferre nobiscum proposuimus, si a receptis opinionibus aliquantum discesserint, male interpretetur vel nobis, ceu otiosis novitatum machinatoribus, omnes diras imprecetur, verum æquo animo singula pensitet, nosque ea prosequatur benevolentia, quam nos veri amore atque studio, quibus ducimur, meruisse suspicamur vel si nostra dicendi ratio rudior atque inculta palato, cui callum obduxit longa cibi delicatioris consuetudo, minus grata esset atque accepta.

§. II.

BARBARÆ gentes fere omnes, uti itinerum descriptiones abunde loquuntur, ignem, tam ornamenti gratia, quam ad præcavendos & debellandos morbos vario modo corpori admovent, nec apud politiores sua caret laude atque celebritate. Longe tamen frequentissimus ejus est usus apud Nationes, quæ regiones trans Gangem fitas incolunt, Sinenfes inprimis & Japonenses. Hi peculiari prorsus ratione adustiones instituunt, quæ a remotissimis inde temporibus inter eos invaluit, quæque deinde, non tantum ad vicinas gentes transmigravit, verum etiam ab Europæ Medicis fuit recepta. Materiem, qua ad inurendum utuntur, MOXAM appellant. Hanc ex *Artemisiæ vulgaris* foliis teneris, initio mensis Junii collectis, per multum tempus in aëre libero suspensis atque exsiccatis, dein vero pistillo quodam in stupæ rudioris mollitiem confusis atque a fibris durioribus & recrementis quibuscunque probe purgatis, parant. Quo quidem artificio lanugo obtinetur insignis teneritatis, ignique concipiendo aptissima, qui etiam admisus lentius & deflagratione minus conspicua serpit, usque dum totum in favillam abeat. Lanuginis Artemisiæ loco alii panno gossypino vel jun-ci medulla oleo Sefami imbuta vel, ut inter Europæ Medicos consuevit, ipsa Gossypii lana utuntur. Ipsa vero ustio hac fere ratione instituitur: Stupæ artemisial-
lis portio digitis aptatur in conum tres, & quod excurrit, digitos altum totidemque fere ad basin latum, quem deinde in ima parte, quo cuti adhæreat, saliva madefactum loco inurendo imponunt & fastigium, virgula quadam ardenti, quam Japonenses *Senko* vocant, accendunt. Turundam tum lente depascit ignis, quo sub primum gratus calor, dein vero dolor sensim ingravescens sentitur, usque dum ad cutem pervenerit æstus, jam eo intolerabili-
lior,



lior, quo gravius a contactu ipsius ignis adficiuntur partes subjectæ. Hicce adurendi modus id imprimis secum commodi habet, quod illo, qui ferro candenti fit, minus fit terribilis, nec tamen minori se commendet utilitate atque efficacia.

DE eligendis locis adurendis non parum solliciti sunt Japonenses & Sinenses, eaque probe nosse fastigium doctrinæ pyrosophicæ censetur, quapropter etiam illa in tabulis impressis exponunt. Ea vero loca ejusmodi potissimum sunt, per quæ, ut satis quidem simpliciter etiam nostro tempore sibi persuadent nonnulli, materia peccans, ut dicitur, a parte adfecta avocata, extrahi posse creditur. Hinc uti nec sexui, nec ætati, nec habitui corporis ulli, ita etiam nulli fere parti parcunt. Omnium vero frequentissime dorsum idque prope spinam adurunt, unde illud scedis cicatricibus oblitum quam sæpissime habent hæ Nationes, idque eo minus mirum est, quum numerus Moxarum nulla artis regula, verum ægri fortitudine sola definiatur. Tendines tamen, nervos atque venas, quas visu vel tactu explorant, sollicitè evitant, ut etiam suadet CÆLSUS, nec pluviosa vel humida & æstuosa aut gelida tempestate uestiones instituunt, verum diem siccum, serenum atque modicè calentem eligunt. Ulcera ab adustione orta diligenter inspiciunt Chirurghi, *Tensasi* dicti, quia loca adurenda palpantur quæ si sicca adparuerint, id malum atque naturæ debilis indicium scite admodum judicant & tum cepas contusas superimponunt, ut promoveatur suppuratio, sin minus tamen oleo stigmata quotidie inungere non omittunt, ut puris effluvium citius adveniat. Quum manca admodum sit atque confusa harum gentium, tam rerum naturalium in genere, quam imprimis corporis humani cognitio, nec valde ditis medicamentorum Syllabus, omnium fere remediorum locum tenent adustiones, quamobrem
enu-



enumeratione morborum, in quibus eas adhibent, tamquam tædio plena &, his præsertim temporibus, quibus utilitatem ignis æqua lance ponderare didicimus, inutili superfedemus. Id tamen observare convenit, quod ustiones tam ad præcavendos morbos instituantur, unde etiam singulis fere semestribus corporis quendam locum, tamen turundis minoribus atque rarioribus, inuri curant calidarum regionum incolæ, quam ad profligandas varias infirmitates, tum vero insigniores atque frequentiores fiunt. In Arthritide ejusque progenie Podagra, Ischiade & capitis adfectionibus chronicis variis, longe celebratissimus est Moxæ usus & præterea in omni morbo, in quo, ut ajunt & pessime ajunt, vapor quidam detentus continui solutionem, dolores & actionis læsionem parit.

HÆC de Moxæ apud Sinenses & Japonenses usu dicta sunt. Quæ vero de his proposita sunt, tam ex KÆMPFERO atque aliis, qui Indiam visiterunt hausimus, quam ex ore Illust. Præsidis, cui longa apud Indos commoratio bellam admodum, nec utique neglectam, præbuit occasionem in mores eorum atque consuetudines inquirendi.

AB eo inde tempore, quo primum innotuit iste Sinensibus atque Japonensibus familiaris adurendi modus, tanta se commendavit commoditate, ut ceteris omnibus, qui ferro candente vel alio quovis modo, visu quidem quam actu terribiliores, antiquitus fiebant, palmam facile præriperet. Hinc apud Gallos, svadente inprimis Celeb. POUTEAU, Anglos, Germanos & etiam in his regionibus increbuit Moxæ usus, licet absque discrimine, ut Indiæ populi, eam non adhibeant Medici nostrates & loco stupæ artemisialis lanam gosypinam vel spongiam præparatam sumant.



§. III.

QUINAM sint effectus ignis corporis cuidam parti admoti, jam explicari jubet instituti ratio. Heic autem, & quidem semper, quum de modo, quo corpus nostrum adficiunt res externæ, sermo est, probe caveri oportet, ne nos fugiat magna illa, quæ materiam viventem inter & mortuam intercedit, differentia; quæ quidem admonitio supervacua esset, nisi Medicos in hoc vitium valde pronos animadverteremus. Ad id enim non satis accurate attendunt, quod materia vivens non prius ad leges mortuæ revertatur vel eadem ratione qua hæc adficiatur, quam vita penitus fuerit orbata. Hinc ea quæ de vi ignis nexum corporum solvendi, quo particulæ elementares tandem remanebunt, loquuntur, licet ubi de materia mortua sermo est, satis belle se habeant, vix tamen in explicandos effectus, quos corpori vivo admotus exercet, quadrabunt. Qui enim rem, de qua jam agitur, attentius fuerit rimatus, facile perspiciet, calorem & ejus collectam vim, quæ ignis vocatur, nihil omnino aliud facere, quam solida viva ad agendum invitare vel agentibus calcar addere, sicuti, & quidem inversa ratione, actionem eorum minuit, quod huic e diametro oppositum est frigus; verum ambo, ille nimis urgendo, hoc nimis infringendo agendi potestatem, eam usquequaque jugulare possunt. Calor vero, quo corpori nostro opus est, duplex observatur: Alter *internus*, vitæ fons vel saltem fomes censendus, intra corpus ignoto negotio paratur vel fovetur, gradu vix variat nisi in superficie & extremis artubus, calore externo, exercitatione, aëre puro & stimulis quibuscumque egregie refocillatur, cet.; *Externus* alter, immensum quantum gradu differre potest absque ullo detrimento, prout scilicet calor internus victu, cultu vel motu fuerit sustentatus. Hic vel materiæ, jam mi-

B

nus,



nus, jam quoque magis, illo imbutæ, vel etiam ardentes, in usus medicos varios vocantur, eo inprimis consilio ut promoveatur solidorum actio. Quum vero cuti admoveatur ignis, id primum gratum est, deinde injucundum, tum acerbum, postremo intolerabile. In loco autem quem adgreditur hæc fere observantur: Primum turget, nam majorem humorum copiam ad cutem adpellunt vasa incitata; deinde rubet, quoniam plus sanguinis rubri, quem jam transmittunt vasa minora fortius agentia, illuc defertur; porro epidermis in bullas surgit, quum major fluidi portio adveniat, quam quæ per cuticulæ ostia facile exsudare potest; tum, & quidem continuata ustione, a nimio stimulo sensim jugulantur solida; postea omnes illas mutationes, quas materiam quamcumque mortuam admoto igne subire notissimum est, experiuntur, avolat nimirum aqua, consumitur pingve, nexus solvitur; tandem nihil nisi carbo vel crusta atra remanet. Hæc in parte adusta apparitiones, quarum jam plures jam pauciores, pro vehementia caloris & duratione adplicationis adesse, vix quod moneatur necesse est, evidenter admodum ostendunt, ignem eadem ratione qua omnes res irritantes, solida viva tantummodo stimulare, unde oritur inflammatio, nec prius vim corpora quæcumque in particulas quibus efficiuntur solvendi exercere, quam sublata est vis vitæ, quæ ut nulli fere materiæ communis sive mortuæ legi pareamus, sola efficit & adversus injurias optimum præsidium est. Præter vero hæc quæ in loco adusto fiunt, simul totum corpus adficitur, idque eo gravius, quo major vel diuturnior fuerit ustio, eaque, quæ stimulum quendam corpori molestiam adtulisse indicant symptomata in conspectum prodeunt.

HÆCCE effectuum ignis corpori admoti, qua nulla simplicior, explicatio vehementer nobis arridet, nec illam, utpote valde fundatam & experientiæ atque sanæ
ratio-



rationi consentaneam, facile infirmabunt hi, qui, nulla omnino vitæ habita ratione, juxta leges Mechanicas, Physicas & Chemicas, varia illa, quæ in corpore animali se offerunt phænomena, irritò tentamine explicare conantur.

§. IV.

Ex iis, quæ in superiori §. de effectu ignis corpori admoti proposuimus, liquidissime constare arbitramur, quibus in morbis commendandus sit atque utilis. Eum quoque Medicorum filii jam temporis varios in fines adhibent, quorum præcipui hi sunt: 1:mo, ut stimulo suo actionem solidorum inertium excitet vel torpentium incitet. Hinc & quidem ubi inertia reperiuntur solida, ut in paralyfi quacumque, valde profunt adustiones, iis imprimis in locis, ubi ex capite vel medulla spinali prodeunt nervi partem adfectam adituri, institutæ. Eas summo cum emolumento in paralyfi artuum inferiorum adhibuit Cel. POTT & in vesicæ Cel. POUTEAU, ut alia exempla satis frequentia taceamus. Unicum tamen adferre liceat. Æstate anni præterlapsi acidulas Medeviensis adiit mulier quædam, quid valerent aquæ minerales ejus loci ad tollendam paralyfin linguæ, qua laborabat, quæque, nisi valde fallimur, a febre mali moris ortum ducebat, tentatura. Aquam quidem per tempus sorpsit, verum quum hæc nihil omnino proficeret, moxam pone singulam aurem adplicari curavit Cel. Assessor WÅHLIN ejus loci Medicus Experientissimus, quo factum est, ut altero ab adustione die iterum loqui inciperet, tandemque liberrimum linguæ usum recuperaret. Nec vi sua irritandi minus valet ignis ad incitandam actionem solidorum torpentium. Hinc ad emendandam supurationem ulcerum maligniorum non parum juvat, quod jam pridem asseveravit Cel. FAVRE & experimentum in Nosocomio Academico nuperrime institutum confirmavit. In oedemate quoque crurum diuturniori, ubi



langvet absorbentium vis, illam egregie incitant stimulantia quaecumque & ignis caute adhibitus. Nec aliud magis ad rem facit, ut resorbeatur lymphæ inter ligamentorum laminas effusa in genuum fungis & illa inprimis specie, quæ Anglis *White Swelling* audit, quam cauteria ab utroque latere genu admota. Etiam in iis tumoribus, qui in Peste vel post febres malignas metastatice, ut dicitur, oriuntur, adustione uti non alienum est, quo scilicet promoveatur suppuratio lentius ingruens & ne in gangrænam, quod facillime accidit, abeant. Id vero quantum fieri potest citissime est faciendum, sin minus vel serum vel supervacuum id auxilium erit. Nec quoque ustiones in ea specie gangrænae, quam febres pessimæ causantur, prorsus inutiles facile judicabit, qui illam, ut quidem est, a defectu virium ortam existimaverit. 2:do, ut vice perfungetur stimulorum quibus antea adverserum fuit corpus, qui vero jam causa quadam fuerunt sublata. Hinc si eruptiones quædam cutis, vel tumor extremi artus, arthritide laborantibus familiaris, vel ulcus vetustum vel alius quidam morbus externus opinione citius disparuerit & graves inde ortæ fuerint turbæ, tum, nisi succeserint irritantia leniora, ustio satis tuto atque valenter fit, vel in loco prius adfecto, vel qua commodissime fieri potest. 3:tio, ut vi sua stimulantia fortiori tollat effectum stimulorum debiliorum, qui dolores vel motus inordinatos musculorum vel demum alias calamitates gignunt. Quomodo fiat hoc, quod quidem fieri nemo negabit, difficillimum est dictu. Interim tamen huic usui præ ceteris inservit ignis. In Rheumatismo itaque & præsertim illo qui chronicus dicitur & sine febre est, nec non in aliis ejusdem naturæ corporis affectionibus, usus adustionum vehementer laudatur & præstantissimus est. Eas quoque in pulmonum morbis, spasms varii generis, capitis atque dentium doloribus, epilepsia, amentia vel, verbo, in omni infirmitatum genere, in quo dolo-



dolores vel motus inordinati vexant & quos a stimulo quodam intus latenti ortos esse adest suspicio, profuisse, passim loquuntur Medicorum observationes. 4:to, ut reprimantur carnes luxuriantes, ut citius decidant ossium emortuorum particulæ, ut excitetur suppuratio tumores cysticos devastatura atque sanatura, cet., unctiones, antiquitus inprimis, sæpius fuerunt adhibitæ, quod quidem Chirurgorum cuique notissimum est. Jam temporis autem id auxilium iis, quæ leniora sunt nec minus prompta, postponunt, qui Chirurgiam rationalem profitentur.

Hæc de usu ignis genuino dixisse sufficiat, quæ vero de vi ejus revellente, derivante, humores noxios alliciente, roborante & quæ sunt reliqua, antiquitus fabricatæ etiamnum narrantur fabellæ, hæc nostra refutatione non indigent, easque tanquam incongruentes, obscuras & a simplici illa atque plana, qua facultates medicamentorum atque agendi modum denotari decet, adpellatione nimis alienas, ad Agyrtarum & Empiricorum castra volumus relegatas, his enim homunculis forsitan expediet dictione intricata atque eruditionis speciem præ se ferente vulgo bardo atque canora quæcumque avide inhianti fucum fecisse. Sic tandem eveniet, quod tarde inceptum dolemus, ut Medicina, ab enormi illa locutionum truncarum farragine liberata, ex derisu emergat vigeatque.

§. V.

ÆGROS ex Gangræna illa, quam in febribus mali moris interdum oriri & cui ignem opponi posse supra monuimus, convaluisse novum non est aut inauditum, id quod natura vel per se vel medicamentis suffulta præstitit; mox quoque parti adfectæ admota profuisse vel suppuratio salutaris post ejus usum orta esse passim legitur. Ne vero quis facile credat huic semper fidendum esse, & ut dilucidius adpareat quam vana evadat, quæ in illa ponitur spes, ubi



vires valde fractæ sunt, Casum quendam nobiscum benigne communicatum adferre placet.

FRANCISCUS PEAUNÉ, Vir Juvenis 25 Annorum, ulcere fatis amplo cruris sinistri laborans, d. 10 Octobris anni 1784 in Nosocomium quod Lugduni Gallorum est, defertur, curæ Chirurgi tum temporis primarii Celeb. DESAUSSEY commissus, qui, ulcere rite deligato, diæta lautiori vini-que generosioris portiuncula subinde sumta, viribus admodum fractis succurrere studuit. Verum die ab admissione 4:to, qui 14 Octobris erat, febris Nosocomiali, putridam credunt, quæ autumnali inprimis tempore frequens tum grassabatur, corripitur. Mox in locum cubiculi, nam valde amplum est, ostiis oppositum, ut purum magis sæpius-que renovatum hauriret aërem, translatus fuit; nec varia illa variæque denominationis medicamina, quæ ad compescenda vel expellenda inquinamenta, quibus humores in his præsertim febribus laborare dicuntur, conducunt, uti mos est illius gentis, in usum vocare neglexit Chirurgus expertus. His atque ejusmodi aliis tempus terebatur, ingravescente interim malo, eo funestiozem exitum portendens, quo magis decre-
scebant vires, jam pridem fractæ, nunc vero per liberiozem
evacuantium usum fere penitus consumptæ. Nec longum ab-
fuit summæ debilitatis evidentius signum. Quarto enim fe-
bris die de dolore vehementiori cruris adflikti queri ince-
pit, quod & insignitur turgidum lividumque erat levata-
que deligatione ulcus, si vel non prorsus siccum, tamen par-
vam admodum saniei tenuioris copiam fundens & maculis
nigrescentibus undiquaque adpersum adparuit. His jam ri-
te pensitatis gangrænæ adventantis infauftique eventus haud
ambiguus ominibus, quominus ad corticem kinkinæ vinum-
que confugeret, non amplius dubitavit Chirurgus lauda-
tus nec irritantia illa calidaque, quæ ut excitetur inflam-
matio mortuum a vivo separatura apprime conveniunt topi-
ca, cruri admovere & refrigerata cum calidis mutare omisit.

Quum



Quum vero eo usque vim vitalem amiserant solida, ut vel stimulum non sentirent, vel si vel sentirent, inde robur non conciperent, nec interna illa nec externa medicamenta quidquam profuerunt, sed gangræna, febre ne ad minimum quidem imminuta, progredi perrexit, jamque septimo febris die genu aliquantum superaverat, dum Moxam, cujus celebris est in illo Nosocomio usus, adhibere secum constituit, eo scilicet consilio, ut solida fortiori stimulo sollicitata, tantam, quanta ad suppurationem opus fuit, recuperarent agendi vim. Hinc cylindros a Gosypio contortos, tot nempe, quot ut totus ambitus femoris adureretur opus fuit, digiti transversi a limite gangrænæ distantia & quidem parti sanæ admoveri accendique curavit. Verum etiam hæc in inustionibus non temere posita spes evanuit, & tantum abfuit, ut hæc corruptioni impedimento essent, ut potius stimulo suo, quem ferre non potuerunt solida infirma, reliquum vitæ extingverent atque adeo progressui gangrænæ calcar adderent. Nec prosperior fuit successus inustionum, quæ altero die paulloque altius irritò conamine fuerunt institutæ, nam nec hæc, nec medicamenta illa stimulantia atque roborantia, Corticem puta & vinum, quæ copia satis grandi sumebantur, vim vitæ sopitam & fere extinctam excitare valuerunt, sed decimo febris die, quo jam ingvem fere attigerat gangræna, in noctem vergente moriebatur miser, prægressis omnibus, quæ mortem non dubio omine præfagiunt signis.

The first part of the paper is devoted to a general
 consideration of the subject, and to a statement of the
 objects of the present inquiry. It is then divided into
 three parts, the first of which is devoted to a
 description of the various species of the genus
 and to a statement of their geographical distribution.
 The second part is devoted to a description of the
 habits and characters of the various species, and
 to a statement of their uses. The third part is
 devoted to a description of the various species of
 the genus, and to a statement of their geographical
 distribution. It is then divided into three parts,
 the first of which is devoted to a description of
 the various species of the genus, and to a
 statement of their geographical distribution. The
 second part is devoted to a description of the
 habits and characters of the various species, and
 to a statement of their uses. The third part is
 devoted to a description of the various species of
 the genus, and to a statement of their geographical
 distribution.